

bunt, Et paulò post hæc subjicit: Vos quoq; dabit^{is} operam, qui aliquando docebitis Religionem, ut banc linguam discatis, si non pecora campi & indoctum vulgus haberi vultis, quod editis Germanicis libellis adjutum utcunq; Evangelia & Catechismum docet. Pr. p. 11.

XV. Cause Philologiae instrumentales iidem vel sunt ipsi Subjecto Internæ vel Externæ. Internæ sunt, quibus intellectus benè præmunitus, in legitimâ sensus Scripturæ investigatione dirigitur, suntq; (1.) Totius Philosophiæ, præprimis autem accurata *Metaphysicæ* cognitio (α) ob conceptus in Theologia tam anafcevasticè, quàm catafcevasticè formandos. (β) ad meditationes ampliandas & alienas dijudicandas. Voëtius. Pr. p. 45. (2.) *Logicæ* notitia. Hujus enim beneficio nisi quis verum à falso discernere, & ex ipsis textus visceribus argumenta qviteruere, in errores abripi potest maximos. Proëm. p. 44. 48. 49. Id quod in Rabinis scientiâ hujus & usu legitimo destitutis manifestè deprehenditur, Proëm. p. 55. (3.) *Rhetoricæ* praxis. Quum enim à propriâ vocis significatione *Tropi* deducantur, analogia Proportionis in illis plerumq; observatur, quod beneficio *Rhetoricæ* cognoscitur. Pr. p. 15.

XVI. Externæ sunt, quæ in veritatis scrutinio intellectum nostrum ministerio suo adjuvant. Ceu sunt (α) Pretiosa & eruditis scriptis instructa *Bibliotheca*, quamvis non omnibus benignior sors concedat, ut tot ac tanta Philologorum scripta, non exiguo sanè pretio comparanda, coemere possint. p. 47. 48. Requiritur (β) *Scripta aliorum*, *Lexica*, *Grammaticæ*, *Commentarii*, quæ evolvenda, examinanda, conferenda. Aliorum siquidem labore nostrum adjuvari potest studium, quod Lutherus Similibus aliquot elegantissimis p. 63. appositis, declarat. Illorum igitur Virorum eruditos conatus & pertinacem industriam ingratis nostris judiciis ne deprimamus. p. 82.

XVII. Adversariorum quoq; scripta consuli possunt, quæ tamen cum judicio legenda, ut non simpliciter fidem illis in omnibus adhibeamus, sed pretiosa à vilibus separemus p. 62. Cujus generis sunt *Clavis Flacii*, quæ adulterina & malè referans Scripturam Wittebergenfibus & Lipsiensibus Theologis vocata fuit.